

§. VI. Audiamus igitur Orthodoxum, & in hac quoque cathedra bene meritum de ecclesia nostra Theologum PHIL. LVD. HANNEKENIVM affirmantem & sententiæ Maresianæ adversum: In *Observationibus* enim *fidelibus*, mox hanc animadversionem subjungit: *Subiectum Poenitentiae non vult esse infantes Maresius: Respondemus autem, veram fidem in omni subiecto prædiam habere similem cordis contritionem, quæ cum infantibus asseratur Matt. XVIII, 6. Marc. XI, 42. Luc. XIX, 17. Certe etiam poenitentia illis est asserenda, præsertim cum inibi adultorum via salutis exigatur ad methodum salutis infantum Matth. XVIII. 3. Ubi expresse æqualitas conversionis, quæ est in infantibus, requiritur in adultis. Et si in infantibus est gratia regenerationis efficax, quid efficere aliud potest, quam quod efficit in adultis? Salutarem scilicet pœnitentiã, Et si per diversitatem capacitatis infantilis & adultæ actus illius gratiæ varient, ut supra vidimus. Loca igitur allegata non negant infantibus pœnitentiã salutarem, sed exercitium rationis adultæ reflexum, & Infantes ipsi loco Joel. II, 16. in classẽm pœnitentium referuntur, etiam si resipiscentiæ potior conditio ad Parentes pertinuerit, quorum erat a peccatis, qualibus Infantes obnoxii non erant, imposterum serio abstinere. Ita Theologus hic gravissimus non sine grano salis mentem suam exponit, & sententiã Maresii dejicit.*

§. VII. Addemus alium, meritis & doctrina non imparẽ ecclesiæ nostræ Promachum, JO. CONR. DANNHAEVVM. Hic vero in *Hodosophia sua*, *Pbenom. XI. p. 1269.* hac ratione judicat: *Infantes a poenitentia frustra excluduntur, in quos aversio a peccato & fides cadit, quamvis non cum ea mentis reflexione, quæ est in adultis. Joel. II, 16. Extat sententiã Augustini L. 1. de peccati merito c. 19. Dicet aliquis, quomodo infantes vocantur ad pœnitentiã? nunquid tantillus potest aliquid pœnitere? huic respondendum, si propterea*

pterea